



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Symmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Res proprias superstuè dißipans; & prodigaliter consumens viam ambulat  
perditionis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41716**

Prodigalitas. 465

in spiritum sanctum: utpote contemnens spiritum sanctum  
& auxiliium ad poenitendum & merendum.

*Officium proprium corrumpens, prauaricator est iustitiae.*

**P**rauaricatio (qua homo à debito officio seu certamine variat ad oppositum fouendum ut actor ad fouendū reum, aut econtrario, & sic in similibus) peccatum est: quia contra rectam rationem. Et si in iudicio iusto hoc fiat, aut aliàs in prauiudium diuini vel communis boni, aut cuiusque proximi, peccatum est mortale: quia iniustitia ipsa peccatum est mortale ex suo genere. Seclusa autem omni iniuria, pensanda est ratio declinandi: & secundum illam iudicanda est prauaricatio an sit mortalis.

**P**rocuratorum crimina, vide superius in verbo, aduocatus.

*Res proprias superfluè dissipans & prodigaliter consumens viam ambulat perditionis.*

**P**rodigalitas (qua homo superfluè erogat res suas) peccatum est, utpote liberalitatis virtuti contraria. Non autem mortale peccatum, si pura est: quia minus peccatum est, quàm auaritia liberalitati contraria: quæ si pura est, constat non esse mortalem. Et vtriusque ratio est: quia neutra agit contra charitatem Dei aut proximi, sed præter illam.

Si verò mixta est iniuriæ diuinorum præceptorum, & breuiter cuiusque alteri vitio (puta impietatis filiorum aut filiarum, aut intemperantiæ: ut filius prodigus dissipauit substantiam suam cum meretricibus) iudicanda est iuxta qualitatem vitii cui admiscetur: ita quòd prodigus agitur ad appetitu mortali, prodigalitas & ipsa mortalis est: ut patet de filio prodigi.

## 466 Proxenetæ.

go, & de parente ob prodigalitatē impio versus filios effundendo bona debita filiis. Si verò agitur ab appetitu de veniali (vt quum superflue dat ob vanā gloriam) liberalis est.

**P**romissionis violatio, vide suprà in verbo, Perfidia.

*Mediator inter negotiatores potest iniquitatem multipliciter committere.*

**P**roxenetæ ( id est mediator inter negotiatores) hoc habet familiare peccatum vt fallat vtrunque inter quos mediat, neutri dicendo integram veritatem, & vtrique sæpe mentiendo. Et quia damnificare est suo genere mortale: ideo proxenetæ non contentus sua mercede, fallens vtrunque ad alterum, & peccat mortaliter, & tenetur restituere, si quid sibi appropriauit ex huiusmodi fraude: vt si dixit vni, pusa venditori quòd non inuenit pretium nisi centum: & sic accipit licentiam vendendi pro centum: & dicit emptori quòd non potest minus solui, quàm centum & viginti, & sic appropriat sibi illos viginti, tenetur restituere illos viginti venditori. Tenetur enim ex officio mediatoris fideliter agere vtriusque negotium.

*Animi mollities vitiosa est & pusillanimitati attribuitur.*

**P**usillanimitas ( qua homo ex paruitate animi retrahit se à magnis operibus & honoribus suam facultatem non excedentibus, tanquam si excederēt) peccatum est, vtpote contraria virtuti magnanimitatis. Et est maius peccatum præsumptione, vtpote magis contraria virtuti, quia dissimilior est magnanimitati, vt pater. Est autem peccatum mortale, quando retrahit à magnis quæ sunt de necessitate salutis,